



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

2. Vtrùm vsus sit actus ab electione distinctus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

eam quemdam. Et confirmatur, nam vltus versatur immediatè circa nostras actiones humanas, quæ sunt media ad cognoscendum vltimum finem ex Augst. 11. de Civit. cap. 25. Et ex hoc colligitur propriè, & immediatè vsum, qui est actus voluntatis, versari circa interiores potentias, & actiones hominis; quia est applicatio potentiarum ad opus: tamen ex consequenti, & mediatè versatur circa res exteriores, prout eas ad nostras actiones ordinamus, vel prout sunt materia nostrarum actionum; quapropter nulla re vti dicimur, nisi subiecta sit nostræ voluntati. Quod varijs modis contingere potest, nam aliquando subijcitur tanquam instrumentum; aliquando tanquam materia, vel obiectum; aliquando solum, quia est nobis illa res comoda.

V. Sed obiicies; nam sequitur, nos non posse vti Deo contra Augst. Probatur, quia est nobis valde vtilis; & possumus illum diligere propter nostrum commodum. Confirmatur primò; nam beati saltem dicuntur vti Deo tanquam obiecto, & speculo, in quo omnia vident. Confirmatur secundo, nam vtimur sole, & Angelis etiam; quæ tamen res non subsunt nostræ voluntati. Respondetur ad argumentum primum, nos non vti Deo, sed possumus vti actionibus circa Deum, id est, amore secundo. Aliud est, Deum esse vtilem nobis, & ideo amari; quod interdum fieri potest amore etiam honesto, licet non perfectio. Aliud est vti Deo, quod fieri recte non potest; tum quia non est in potestate hominis, applicari Deum ad efficiendum id quod sibi est vtile; tum etiam quia licet amor Dei possit referri propriè in nostram vtilitatem, tamen non vltimate, sed tandem debet terminari in ipsummet Deum. Vnde ad confirmationem respondetur, beatos non propriè vti Deo: præcipue quia operationes, quas beati exercent circa Deum, sunt necessariæ, quæ tamen, vt ex dictis patet, debent esse liberæ. Ad confirmationem secundam respondetur, non esse locutiones illas ad eò proprias: omnes tamen dicunt ordinem ad nostram voluntatem, & operationes. Vt enim sole quatenus est in potestate mea, non illum mihi, sed me illi applicare: & quodammodo vtimur Angelis, quia volumus iuvari orationibus, vel auxilijs eorum.

SECTIO II.

Vtrum vsum sit actus ab electione distinctus.

I. Prima sententia negat, ita Aureol. apud Cap. in 1. d. 1. q. 2. Fundamentum est, quia habent idem obiectum, nempe bonum propter aliud appetendum. Confirmatur, nam supra dixi, electionem esse voluntatem efficacem; ex qua sequitur opus. Sed hæc eadem est ratio vsum: ergo, &c.

II. Secunda sententia communis Thomistarum est, hos actus ex proprijs rationibus semper esse distinctos: fundamentum est, quia electio est quasi simplex voluntas, & intentio circa finem: vsum autem non sic. Confirmatur primò, quia electio sequitur immediatè post iudicium consilij, & antecedit executionem, vsum vero non est, nisi in executione ipsa: vnde non sequitur immediatè post iudicium, sed post electionem, & imperium. Confirmatur secundo: nam vsum non propriè versatur circa medium, sicut electio, sed circa potentiam exequentem, quod ad opus applicat.

Suarez in primam secunda D. Thomæ.

Nota, electionem duobus modis posse fieri: vno modo quasi abstractivè, determinando scilicet medium, non tamen omnes particulares circumstantias, scilicet hic, & nunc, & hoc modo exequendas. Secundo modo potest fieri electio cum totali determinatione circumstantiarum particularium.

III. Dico primò. Electio cum fit priori modo, non est vsum. Hoc probant rationes secundæ sententiæ, & præcipue, quia ex vi huius electionis potentia non applicatur ad vsum. Et de hac electione intelligendus est D. Thom. cum 1. 2. q. 16. art. 4. dicit electionem antecedere vsum: moraliter enim, & ferè semper ita fit, vt prius fiat consilium, & electio de medio secundum se, quam tractetur de executione: licet interdum accidat, ad eò esse breue tempus, quod inter electionem, & vsum intercedit, vt vix percipiatur.

IV. Dico tamen secundo, per se simpliciter loquendo, necessarium non esse electionem tempore antecedere vsum. Et tunc electio, & vsum non sunt actus distincti. Prior pars probatur, quia nihil impedit quo minus intellectus subito determinet medium, & circumstantias omnes, & voluntas in eodem instanti, in quo eligit medium, eligat circumstantiam, & actualem executionem. Secunda vero pars patet ex fundamentis primæ sententiæ: & præcipue, quia ex vi talis electionis sequitur actio potentia exequentis.

VI. Dico igitur tertio. Electio, & vsum secundum se non videtur actus formaliter, vel essentialiter distincti: sed frequenter differunt secundum maiorem, vel minorem determinationem circumstantiarum. Patet ex dictis, & ratio præcipua est, quia isti actus tendunt in obiectum sub eadem ratione boni, nempe vt est vtile ad consequendum finem. & hoc est essentialiter: illa vero alia differentia videtur plane accidentaliter. Et hoc est iuxta confirmationem primæ sententiæ. Neque obstant argumenta secundæ.

VII. Quare ad fundamentum respondetur, electionem etiam versari circa medium in ordine ad executionem: vnde, quod hæc executio vel statim, vel in posterum determinetur, non arguit differentiam essentialiter, sed solum secundum magis & minus accidentaliter: & ratione huius maioris determinationis fit vt ad vsum sequatur opus, & non ad electionem, quando fit sine ista determinatione: quia exercitium operis requirit determinationem omnium circumstantiarum. Ad secundam respondetur ipsummet vsum potentia exequentis esse velut vnum ex medijs necessarijs ad consequendum finem. & ideo eandem rationem boni, & appetibilis participat: vnde non arguit distinctionem essentialiter. Secundo non sequitur, ad executionem operis esse necessarium vt voluntas directe, & quasi in actu signato velit applicare potentiam exteriorem ad opus: sed satis est, hic & nunc velle istum effectum, nã statim propter naturalem connexionem potentiarum sequitur opus, vt maxime patet in vsum ipsius intellectus. Et ita intelligitur facile D. Thom. in illo art. 4. ad 1. & 3.

SECTIO III.

Quis actus intellectus antecedit vsum, & simul quid sit imperium, & quomodo distinguatur ab vsum.

I. Auctores omnes conveniunt, reperi in nobis datum in internum quoddam imperium, quo nobis nobis imperium.

R

ipsum.

Handwritten notes in red ink on the right margin, including the name 'SUAREZ' and other illegible characters.